

Quaestio.

*Annon vox ἐπειράειν Indicativè potius accipienda sit, quam Imperativè ?* Resp. Indicativum elegit ex Patribus Cyrillus, quem, ut indicavi §. 2, plurimi Pontificiorum, ob perversum interesse suum, avidè sequuntur. Ex Calvinianis ejusdem sententiae sunt Piscator, Camero, Polanus, Tossanus, Beza, quos citat Seb. Schmidius Coll. Bibl. post p. 2, quibus addo Pasorem in Lexico ad hanc vocem, & Job. Lightfootum in Harm. p. 529, & 546. Quin & opinio illa arrisit Eras. Schmidio l. c., atq; Theod. Hackspanio inter Luth. Quod ad rationes illorum spectat, Eras. Schmidius, decisionem, ait, nobis exhibet ipse contextus, qui à versu 33. usque 40. totus Indicativa Oratione constat. Verum, quia nulla inter versum 39. & præcedentem 38. intercedit conjunctio, nimis labilis est hæc consequentia: Christus in antecedentibus & consequentibus Indicativè loquitur; Ergò etiam in hoc nostro versu, eaq; debilitate propria planè corrui, qua de re vid. Seb. Schmidius loc. mox alleg. Sed cum Lightfootus pluribus argumentis opinionem suam propugnare conetur, eorum quoque imbecillitatem breviter detegam. Primum, quod adducit argumentum, exinde desumit, quod ipso in versu dicitur, quia videmini vobis in ipsis vitam æternam habere. Quibus verbis non tam eò collimat Christus, ut ostendat, quid in Scripturis obtinere possint (Judæi), quia tum dicere debuisset, in illis vitam æternam habere potestis, quam ut falsam Judæorum opinionem refutet, qui vitam se æternam studio legis ex opere operato obtinere posse putabant. Sed jam ante refutatum est in Smalzio & Maldonato, quod verbum δοκεῖν falsam semper opinionem denotet, dictumque, quod in textu nostro non fiat mentio falsæ illius hypotheseos Judaicæ, vitam scilicet æternam per opera obtineri posse. Neque enim hæc statim sunt opposita, quæ Judæi ex sacris literis obtinere poterant, & quæ semet exinde obtenturos putabant. Deinde nulla apparet ratio, quare Christus hæc potius verba debuisset adhibere: *ἢ ὅτι ἡ Scriptura vitam æternam habere potestis*; quia Christus Judæis longè melius propriam suam sententiam, quando statuebant, semet in sacris literis habere vitam æternam, opponere poterat, ut necessitas

cessitas